



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput I. In a Exodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

TITULUS XVI.

De adulteriis, & stupro.

CAPUT I.

In ^a Exodo.

Seduxerit quis ^c virginem necdum ^d desponsatam, dormieritque cum ea, ^e dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater ^f virginis dare ^g noluerit, reddet pecuniam juxta ^h modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.

NOTÆ.

I.

Exodo.) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & ex Exodi libro citat textum hunc Ivo Carnot. *part. 16. Decreti, cap. 291.* reperiunturque hæc verba in *cap. 22. Exodi*, prout in præfenti referuntur. Unde constat textum hunc deductum fuisse ex præcepto veteris legis Moyſi datæ, & ab Ecclesia fuisse suscitatum & renovatum præceptum illud; nam licet præcepta legis veteris judicialia post Christi passionem sint mortua, ceremonialia autem mortifera, ut probavi in *cap. translato, de constit.* tamen possunt per Ecclesiam aut supremos Principes suscitari, & leges ferri ejus sensus, cujus sunt leges per Moysem datæ, nisi si quæ sunt leges, quarum tota substantia ad tempus Christi venturi, & Evangelii nondum revelati pertineat; aut nisi Christus ipse contrarium in genere, aut in specie constituerit: nam his casibus demptis, nulla potest ratio excogitari, cur quod olim fuit Moyſi lege constitutum, hodie non possit suscitari, & pro lege caveri; nam ut aiebat Tertullianus *de pudicitia*, libertas in Christo non fecit innocentie injuriam: manet lex tota pietatis, veritatis, constantiæ, castitatis, justitiæ, misericordiæ, benevolentia, pudicitia. Unde varia præcepta legis veteris innovata legimus in *cap. 1. supra de homicidio, cap. 1. & sequentibus, de injuriis, & damno dato*: notavit Grotius *lib. 2. de jure belli, cap. 1.* & nos in *d. cap. translato*.

2.

Seduxerit.) Hinc notant Doctores seductionem esse causam hujus constitutionis; & late disputant, an seductio hæc ita necessaria sit, ut sine ea non detur obligatio in stupratore dotandi, aut contrahendi matrimonium cum virgine à se corrupta; nam seducere in præfenti accipitur pro blanditiis, factis, aut verbis, aut precibus importunis virginis voluntatem allicere, ut apud Terentium ibi:

Etiã nunc me seducere istis dictis postulas.
Et ita seductionem necessariam esse, ut virgine consentiente non detur obligatio in stupratore ducendi, aut dotandi eam, docuerunt Sotus *lib. 4. de justit. quest. 2. art. 1.* Bannez, Salon, & alii, quos refert & sequitur Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 14.* Suarez, Azor & alii, quos laudat & sequitur Barbosa in *præfenti*, Fagundez in *6. Decalogi præcepto, lib. 6. cap. 8.* Quod verum credo, si tam procax puella fuerit, ut abjecto om-

ni pudore, meretricio more juvenem ultro appellaverit; nam si non aperto interpellaverit ornatu, tamen vultu, & blanditiis effecerit, ut ipsa appellaretur, nihilominus adesse obligationem ducendi, seu dotandi eam putaverim; alioquin ferè semper cavillari possunt stupratores, captos se mundicia, & illecebris puellarum; quo casu accipiendi sunt Anton, Matthæus *de crim. ad lib. 48. Pandect. tit. 3. cap. 7.* Cancr. *lib. 3. variar. cap. 11. num. 47.* & eo casu, quo sponte virgo defloratur, non dari obligationem confitendi hanc circumstantiam, probabile dicit P. Mendo in *statuta, dissert. 5. quest. 8.* licet contrarium probabilius dicat. Et virgini juranti se ab aliquo cognitam, credendum esse docet Faber in *suo Codice lib. 4. tit. 14. diffinit. 18.*

c Virginum.) Licet alias pro virgine etiam accipiatur vidua honestè vivens, *l. inter 101. ff. de V. S. l. 3. §. 1. ff. de concubin. l. 41. ff. de ritu nuptiar. lib. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.* tamen in præfenti strictè pro virgine accipitur, cum qua committitur stuprum.

d Nondum desponsatam.) Aliàs adulterium, non stuprum cum ea daretur: undè constat præfentem textum spectare non ad priorem partem hujus Rubricæ de adulteriis, sed ad secundam, videlicet de stupro.

e Dotabit.) Glossa hic interpretatur, idest donationem propter nuptias faciet, quæ donatio appellatur dos uxoris, seu dotalitium, *cap. ex parte, de foro comp. cap. plerumq. de donat. inter:* probavimus latè in *cap. est. necesse, cap. nuper, de donat. inter:* & observavit Cujac. *lib. 5. observ. c. 4.* & verè, nam apud Hebræos non solum uxores viris suis dotem assignabant, ut constat ex *lib. 2. Machab. c. 1. vers. 14.* ibi: *Ut acciperet pecunias multas dotis nomine.* Et ex hystoria Regum, ubi dicitur: *Pharao Rex Egypti ascendit, & cepit Gazem, accenditque eam igni, & Cananum, qui habitabat in civitate, interfecit: & dedit eam in dotem filia sua uxori Salomonis.* Expreſsius ex *Tobia cap. 8. vers. 24.* ibi: *De omnibus autem, quæ possidebat Raquel, dimidiam partem dedit Tobia, & fecit scripturam, ut pars dimidia quæ supererat, post obitum Tobia dominio deveniret.* Verum & manci aliquid de suo dotis augendæ causâ largiebantur, ut constat ex *cap. 34. Genesis, vers. 12.* ubi cum Sichem Dinam requireret, equique nuptias ambiret, aiebat: *Quacunque statueritis, dabo: augere dotem, & munera postulate, & libenter tribuam*

- buam quod petieritis : tandem date mihi puellam hanc uxorem, Et libr. 1. Regum, cap. 28. vers. 25. ubi dotavit Michol centum præputiis Philistinorum. Probat Menochius de Republ. Hebræor. cap. 21. & ita verbum hoc, dotabit, accipitur pro dote uxori à marito assignanda : sequentia autem verba ea, juxta modum dotis, sunt accipienda de vera dote, quam virgines accipere consueverunt à parentibus suis, ut exponit Menochius supra, cap. 21.*
6. *f Si vero pater virginis*) Quibus verbis supponitur magna potestas parentum in matrimoniis filiarum apud Hebræos, quam variis sacræ pagine auctoritatibus probat P. Menochius d. cap. 21. & apud Romanos, aliasque nationes eandem potestatem Patres habuisse in nuptiis filiorum, fuse probavi in cap. de despons. impub.
7. *g Noluerit.*) Sed queritur, an quod lege divina patri conceditur, idem filie concedendum sit, videlicet ut si ipsa, quæ vitata est, nubere stupratori nolit, tamen sit doranda. Et placuit dotandam esse : tum quia si pater dissentiente, de cujus conjunctione principaliter non agitur, manet obligatio dotandi, quanto magis dissentiente ea, de cujus conjunctione agitur. Tum quia cum dos pœna injuriæ irrogatæ sit, sequeretur ipsâ puellâ dissentiente, nullâ pœnâ affici stupratorem, quod absurdum est, ut docuerunt Jul. Clarus §. stuprum. n. 3. P. Menochius de arbitr. casu 288. n. 18. Farinac. in praxi, q. 147. n. 105. Ant. Matthæus d. cap. 7. n. 17.
8. *h Juxta modum dotis.*) Modus enim in dotibus præscriptus fuit secundum statum, & dignitatem uxorum, tam apud Hebræos, ut probat Pineda de rebus Salomonis libr. 5. cap. 2. num. 4. quam apud Romanos, ex lege Julia de maritandis ordinibus, cujus vestigia exstant in l. si filia 41. de legat. 3. l. cum de in rem verso, 6. ff. de usuris, l. quæro 59. l. sive 60. de jure dotium, l. non tantum, de rit. & curat. l. Mævius, de pact. dot. l. Seia 10. de dote prelegat. l. Mævius 49. ff. solut. matrim. l. 68. §. gener. ff. de jure dotium. Ex qua tutor dabatur ad dotem dicendam, promittendamve. Ulpianus lib. singul. regul. tit. ii. eoque pertinet lex sive generalis 61. ff. de jure dotium, sive ex lege Papia, ut nonnulli probant ex l. 2. C. Theodos. de inofficiosis dotibus, ibi: Dote ab uxore marito data, filiis ex priori matrimonio, si neque ultra dōdrantem, nec in fraudem legis Papia constitutur, de hac repetenda nullam constat esse actionem. Sed malè, ut observat Merillus lib. 3. obser. cap. 6. Maxima dos apud Romanos fuit quadraginta millia æris, postea crevit ad decies festerium, idest quinque & viginti millia aureorum. Lavia 77. §. ult. de condit. & demonstr. l. cum de in rem verso, §. 4. ff. de usuris. Horatius lib. 1. satyr. 3.
- Decies centena dedisset
Huic parco paucis contento quinque diebus,
Juvenal. satyr. 10. in fin.
- Tyrinsque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabantur.
Non nisi legitime vult nubere.
Martialis lib. 2. epigr. 65.
- Centena decies, quæ tibi dedit dotis.
Illustrat Gothofredus in d. l. cum in rem, §. 1. Scipio Gentil. ad Apulei. in apolog. pag. 434. latè Henellius de dotatiop. §. 3. Gothofr. in l. 6. §. 1. ff. de usur. Cujacius lib. 1. 99. Papin. in l. 39. ff. solut. matrim. & libr. 29. 99. Papin. in d. l. 6. §. 1. & in novella 22. colum. 4. & 7. 99. Pauli in l. 43. tit. de administrat. tut. Anton. Augustin. libr. 2. emend. cap. 6. Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 1. sect. 3. Lipsius ad lib. 2. annal. Taciti, annot. 177. Samuel Petit. ad ius Atticum libr. 6. tit. 2. pag. 453. Philippus Camer. ventur. 2. horar. success. cap. 43. Lindembrogus in glossar. verbo Dos, Ramirez ad Martial. lib. 2. epigr. 64. Bignon. ad veter. formul. cap. 52. Merillus lib. 3. observat. cap. 6. & apud alias nationes modum dotibus præscriptum fuisse, probant Alexander ab Alex. lib. 4. dier. genial. cap. 8. D. Josephus de Rete in l. quæro, ff. de jure dot. In præsentî casu dos æstimanda est juxta morem regionis, in qua stuprum contingit, & juxta qualitatem tam virginis vitiatæ, quam vitiantis, argumento textus in l. cum post 64. §. gener. ff. de jure dotium, l. si filia 43. ff. de leg. 3. leg. 1. am de mentis 28. C. de Episcop. aud. l. si furiosi 25. C. de nuptiis, l. si Curatoris 9. C. de administrat. tut. ita ut attendatur omnino quantitas, quam dotis nomine pater ejus assignare valebat, ut considerant Salcedo in praxi, cap. 83. Didacus Perez in princ. tit. 15. lib. 8. ordin. Ansaldo de jurisdict. p. 4. tit. 7. cap. 1. n. 81. Gomez in l. 8 Tauri, Castillo de aliment. cap. 26. §. 7.

CAPUT II.

^a Gregorius Felici Episcopo Sipontino.

EXpectabamus fraternitatem tuam suâ aliquos ad Deum prædicatione convertere, & malè agentes ad rectitudinem revocare. Qua de re nimis contristamur, quia è diverso in nepotis tui Felicis pravitate, tua evidenter, qui talem nutriti, culpa monstrata est. Pervenit itaque ad nos, quod suprascriptus Felix Evangelii tui Diaconi filiam, quod nefas est dici, stupro deceperit. Quod si verum est, quamvis gravi esset de lege penâ plectendus; nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, hujusmodi disponendo præcipimus, ut autquam stupravit, uxorem habeat, aut certè si renuendum puta verit, districtius, ac corporaliter castigatus, excommunicatusque, in monasterium, ubi penitentiam peragat, ^b retrudatur: de quo ei nulla sit egrediendi sine nostra præceptione licentia. Ita ergo fraternitas tua, ut hæc compleantur, studeat, quatenus nihil de his aliquo modo possit omitti. Nam si quid, quod non credimus, lentatum fuerit, & illi grave postea periculum imminet, & te non levis incipiet culpa respicere.

NOTÆ